



The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **PORTUS BERGENSIS** IN MADAGASCARIA
NOVA CONDITUR DIOECESIS PORTUS BERGENSIS Venerabiles Fratres Nostri S.R.E.

Cardinales atque Praesules, qui Congregationi pro Gentium Evangelizatione sunt praepositi, solliciti de spirituali salute atque regimine Madagascariae fidelium in finibus Ecclesiae Mahagianganæ degentium, re mature perpensa auditoque pariter faventi voto Venerabilis Fratris Blasci Francisci Collaço, Archiepiscopi titulo Octavensis et in eadem Natione Apostolici Pronuntii, censuerunt nuper ibidem novam condendam esse dioecesim. Nos igitur, Qui gravissimo fungimur munere supremi Pastoris totius gregis Dominici, talem sententiam ratam habentes, summa Apostolica potestate haec decernimus. A Mahagiangana dioecesi separamus territorium regionis civilis patrio sermone nuncupatae Port-Bergé, Mandritsara et Mampikony; ex eoque novam constituimus dioecesim Portus Bergensis appellandam, quam metropolitanae Sedi Antsirananensi suffraganeam facimus atque iurisdictioni Congregationis pro Gentium Evangelizatione subicimus, cuius limites iidem erunt ac memoratae civilis regionis. Praeterea iubemus Episcopi cathedram poni in templo Mariae Sanctissimae in caelum Assumptae exstante in urbe « Port-Bergé »; cetera vero secundum canonicas leges temperentur. Quae praescripsimus perducet ad exitum Venerabilis Frater Blascus Franciscus Collaço, quem diximus, vel ab eo delegatus sacerdos, factis nempe necessariis facultatibus. Re autem acta, documenta exarentur sincerisque exemplis ad Congregationem pro Gentium Evangelizatione cito mittantur. Has denique Apostolicas Litteras sub plumbo datas nunc et in posterum ratas esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die duodevicesimo mensis Octobris, anno Domini millesimo nongentesimo nonagesimo tertio, Pontificatus Nostri sexto decimo.*

ANGELUS card. SODANO <i>Secretarius Status</i>	IOSEPHUS card. TOMKO <i>Congr. pro Gentium Evang. Praef.</i>
---	---

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*

Franciscus Chiaurri, *Protonot.*

Apost.

*A.A.S., vol. LXXXVI (1994), n. 6, pp. 468-469

© Copyright - Libreria Editrice Vaticana